





1766, 12.  
No. 48

394

SPECIMEN  
IVRIS CONTROVERSI  
DE  
LEGE PATRIS  
DETERMINANTE IMPENSAS EDUCATIONIS  
SVI PVPILLI.

QVOD  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
P R A E S I D E  
D. CHRISTIANO HENRICO  
BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT. ET SOC.  
LITER. DVISBVRG. SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE I. MART. A. MDCCCLXVI

DEFENDET

IOANNES GOTTLIEB HAYN

LAVBAN. LVSAT.

---

LIPSIÆ  
EX OFFICINA BREITKOPFIA

STEFANUS  
LIVRIS CONTROVERSI

LEGE PATRIS  
ET EPISCOPORUM  
SUI REGNI

IN LITTERIS VICTORII ORDINIS  
CHRISTIANO HENRICO

BRUNNEN  
IN AUCTORITATE  
LITERARUM

JOHANNES  
LIVRIS

ET  
LIVRIS





D E  
L E G E P A T R I S  
D E T E R M I N A N T E I M P E N S A S E D V C A T I O N I S  
S V I P V P I L L I .



§. I.

ater, quem Romana Iura in sua familia imperantem  
constituebant imo domesticum iudicem, leges etiam  
dicere sicque domesticam aliquam *νομαθεσίαν* ha-  
buisse, vel inde pater, quod LEX XII. *Tabul.* ex-  
presse fanciuerit: PATER FAMILIAS VTI LEGASSIT, ITA  
IUS ESTO. Summa vero illa patris autoritas non tantum viuo  
eo omnem vim exhibebat, verum adeo eo mortuo eius voluntas  
sancte seruanda videbatur. Non quidem nego, multum Romanos  
in defendenda hac iuris constitutione tribuisse *σοφῶν* naturali; at  
vero plurima quoque naturae ciuilibus quiritariique domini in libe-  
ros competentis tribui debere, manifestum est. Neque cessauit  
omnis paterni huius imperii vis et potestas, cum sub Imperatori-  
bus rigor ille temperatus sit potestatis patriae, sed in multis imo  
plurimis causis mansit: nec id mirandum cum de suo et recte tem-  
pore testetur IUSTINIANVS §. 2. *I. de patr. potest.* nullam gen-  
tem esse, quae tantum ius in liberos habeat, quantum Romani.



## §. II.

Neque vero ius illud imperii paterni expers erat officiorum atque perfectarum obligationum, ad quas adimplendas ipsa Respublica eosdem patres cogebat. Alendi educandique necessitas ad primaria officia pertinebat. Quamuis enim Romulus autor patriae potestatis suo tempore videbatur concessisse *Ius vitae et necis*, tamen idem ius ac alterum scilicet de abiiciendo partu videtur ab eodem rege restrictum, ut saltem in quibusdam thematibus tantum hoc educandi alendique officium remissum sit, ut conicio ex DIONYS. HALIC. *Antiqu. Roman.* p. 88.

Fecit postea forsitan Lex Papia Poppaea, qua *πολυπαίδιος* praemia data, ut magis obligarentur parentes ad educandos liberos alendosque, per quos legis beneficia obtinebant, quae causa fuit, ut primum usu cessauerit et internecio et expositio infantum, donec tandem lege Christiana adeo sit abrogata, quo facit lis docta inter celeberrimos Battauorum *Noodium* et *Bynkershoekium* habita, neutro ab aduersario iuste refutato.

## §. III.


Non vrgeo reliqua parentum officia, nec quicquid Praetor de agnoscendis alendisque liberis fecerit. Alia quaestio dabitur: An videlicet Pater legem dare poterit de liberis post mortem suam alendis, quidue in ea alimenta impendendum sit. Facile patet, posse esse quaestionem, de liberis legitimis et legitimatis, quippe quibus Pater alimenta debebat, nec non naturalibus illegitimis, quibus posteriora iura sextantem abintestato assignarunt, nullis liberis legitimis et ascendentibus ab intestato relictis, ex quo alendi fuerant. Non vero de iis sermo erit liberis adeo iustis et legitimis, quibus aetas matura erat, ut suarum rerum administrationem ipsi capere possent, sed de his qui vel aliorum tutela regebantur, vel quorum bona aliorum curae

com-

commiffa erant. Cum enim hi de bonis fuis difponere haud poffent, neque quae impendia fieri vellent ordinare; neceffarium videbatur, vt tutoribus curatoribusue quandoque lex daretur, quantum de bonis pupilli minorisue in eius alimenta impendere deberent. Et huc referenda quaefitio fupra propofita.

§. IV.

Patri vtique ex Iure Decemuirali compete-  
bat legem dare fup-  
per pecunia tutelaue rei fuae. Poterat interpretatione prudentum  
interueniente liberis impuberibus testamentum condere, quod fie-  
bat pupillariter fubftituendo: quid prohibebat, quo minus et iis  
poffet praefcribere, quantum de rebus hereditario iure a fe relictis  
impendi deberet in alimenta impuberum. Et cum testamentum  
lex effet, recte eo fcriptis liberis heredibus quoque fancire pote-  
rat, quantum vellet erogari in eorum educationem. Ita et vete-  
res Ictos cogitaffe me docet VLPIANVS in L. 2. §. 3. π. vbi pupill. edu-  
car. Sed et fi pater, inquit, ftatuit alimenta liberis, quos heredes fcripferit.  
caet. At cum impuberibus tantum liberis legem ferre potuerit pa-  
ter, quid? Si *minores* effent, quos heredes fcripferat liberos. Lex de  
impuberibus agit, et directo his forfan tantum impensas in alimenta  
educationemue determinabant, cum adolefcentes educatione ali-  
qua egere non viderentur, qui potius curatore vtebantur admini-  
fttrandorum bonorum fuorum tantum caufa, ne inexpertes alio-  
rum improbitate defraudarentur. At vero cum patris erga natos  
fuos optimum femper putaretur effe confilium, et curatores non ex  
arbitrio minoris in eundem pecunias erogabant, fed determina-  
tione egebant aliqua, quantum ex bonis in victum reliquaue fuorum  
minorum impendere deberent, non videtur dubium fupereffe, quin  
et minori fuo heredi filio pater impendiorum caufa legem dicere  
potuerit testamento fuo. Hinc concludo, non potefatem patris feu



dominium huius iuris fontem fuisse, sed solum officium atque *σοφία*. Probo inde. Ea quae vi patriae potestatis solius statuerat pater: ea vix magistratus arbitrio subiecta: secus in alimentis ex pupilli minorisue bonis praestandis. Is enim ipse *VLPIANVS cit. l. de themate* scribit, vbi pater maiora impendia in alimenta pupilli ordinauerat, quam quantum ferret filii patrimonium: tutor non attentus nimium impenderat, quaerebatur, an nimiae impensae eidem imputari possint; et adfirmat *ICTUS*. En eius verba: *Sed si pater statuit alimenta liberis, quos heredes scripserit: ea praestando tutor reputare poterit, nisi forte ultra vires facultatum statuerit, tunc enim imputabitur ei, cur non adito Praetore desiderauit alimenta minui.*

§. V.

Poterat itaque Praetor minuere impensas maiores forsan a patre statutas, si bona impuberis ita suaderent, qui et ipse non statutas tutori definire poterat, vt est apud *VLPIANVM in L. 3. π. vbi pupill. educ.* Sed quid? Si pater naturalem suum illegitimum in testamento heredem scripisset, eidemque definiuisset, quantum in annuas alimentations impendendum, an et illa a Patre data lex tutorem illegiti impuberis obliget. Et arbitror, quum omnis causa non in Patria Potestate quaerenda, sed in consilio, neque *σοφία* effectus matrimonii esse soleat, at magis naturae, hoc patris quoque consilium sequi debere tutorem, nisi eae impensae reddituum quantitatem superent et sine necessitate ipsa bona minuant. Et non dubito, quin iudex testatoris consilium non superhabiturus sit, si quem extraneum impuberem heredem scripisset, eidemque determinasset, quantum in educationem impendendum sit: quamuis forsam tutor non sine iudicis cognitione testatoris voluntatem sequatur. Neque vero quoties pater liberis sumtus educationis praescribit, cogetur, vt prius tutorem det in testamento. Cum enim nullibi



nullibi hoc leges fanciant, et is, quem tutorem magistratus dederit, recte patris consilium sequi debet in impendendis erogandisque educationis sumptibus; saluo eo, quod semper in omni themate patrimonii pupillorum habenda sit ratio.

§. VI.

Iam videamus, quae nostri iuris sint. Forsan rectius fecero aut saltem non aberrauero, si recepta in hoc themate Romana dicam Iura. Quamuis enim in iuribus tutelae curaeque Patrii mores legesque quam valde recedant a Romanis, tamen capita nonnulla non recepta tantum sunt, sed quod moribus conuenientia videntur, applicata. Antiquo quidem iure, quo adhuc vsufructuaria tutela erat, testamentorumque vis popularibus incognita, dubito an de definiendis impensis multum cogitarint, nisi pacto cum eo, quem mores tutorem dabant, cuique vsufructus obueniebat, interueniente. Et suprema illa demum tutela, de qua HEINECCIUS *diff. de suprema Princip. Tutel.* saltem eo respicere debebat, vt ad dignitatis et ordinis rationem impensae in educandos pupillos erogarentur. At postea quum testamenta reciperentur, Iura Romana, familiariora efficerentur, sane ab eo tempore facilius fieri poterat, vt fructuaria illa tutela cessaret, imago testamentariae tutelae reciperetur, et sic pater naturali pietate inductus liberorum educationi sumtus finiret. Iudices quique litium decidendarum studia tractabant, iutenti huic iuri, maxime quod salutis pupillorum rationem habere videbatur, quidquid forsitan obici poterat, negligebant et Ius quod addidicerant relicta omni legum ratione, causa, origine, quod et interdum hodie adhuc forum premit, applicabant. En ergo patrem quoque impuberibus suis in testamento legem dantem, quantum in eorum educa-

educationem et alimentationem ex relictis bonis quotannis impendendum sit tutori. Poterant ideo facilius admittere iudicia, cum supremæ Tutelæ nulla lex simul daretur: neque illud ius tutori præscriptum ex quiritarii domini rationibus proueniret. Habet ergo Magistratus pariter ius apud nos attendere, an conueniat patris determinatio cum relictæ patrimonii viribus, sique apparet, nimium inque bonorum diminutionem ordinasse patrem, potest iubere, vt tutor noua præscripta ratione patris consilium deserat, contra si admodum parcus parens fuisset, bonaque ferrent, vt tunc maiores impensas faceret tutor, decernere. Et cum curatorum et tutorum ex subtili Romano Iure nulla recepta differentia, vt docuit III. GAERTNERVS *Impub. et minor. tutorem et curator. Iure German. non distingui.* Diff. hæc omnia in curatore si ex sensu Romanarum legum ita dicendus fuisset, pariter obseruantur. Obseruauit tamen Magistratus, non sine summa causa eaque grauissima a patris consilio vel in minuendis vel in augendis maxime sumptibus impensisque alimentorum recedere: et forsan non sine iusta causa; ne aliquando maiorennis de improbo magistratus consilio conuerti possit. Nec in aliis quæ supra adduximus speciebus forsan alia cogitandi agendique hodie ratio erit.

TANTVM.

Leipzig, Diss. 1766 A-G



TA-00







1766, 12.  
No: 48

SPECIMEN  
IVRIS CONTROVERSI  
DE  
LEGE PATRIS  
DETERMINANTE IMPENSAS EDUCATIONIS  
SVI PVPILLI,

QVOD  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
P R A E S I D E  
D. CHRISTIANO HENRICO  
BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT. ET SOC.  
LITER. DVISBVRG. SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE I. MART. A. MDCCCLXVI

DEFENDET

IOANNES GOTTLIEB HAYN

LAVBAN. LVSAT.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA

